EXAMEN

in Gymnasio Elbingensi

d. XXVII et XXVIII mens. Sept. MDCCCXIX

publice instituendum

rite indicit

F. Buchner.

Inest prolusio De veterum Graecorum disciplina mathematica in gymnasia nostra revocanda.

Elbingae,

Typis Hartmannianis.

Postquam superioribus temporibus studium mathematicum in scholis Germaniae minimi ac fere nihili aestimatum erat, ita ut linguis classicis fere omne tempus tribueretur, mathesi vero paucae tantummodo horae subsecivae *) relinquerentur, Edictum Regium scholis regni Borussici altioribus Ao. 1815 datum Mathesi dignum locum inter disciplinas in gymnasiis tractandas adsignavit, matheseosque doctoribus juvenes in nobilissima arte pro viribus exercendi copiam dedit. Non intempestivum igitur videtur, quae de disciplina matheseos scholastica sentiam, quaeque jam dudum, maxime vero per hos quatuor annos ipse viderim atque accurate mecum reputaverim, paucis hic exponere.

Lex illa, contracta materia institutionis scholasticae ad religionis christianae cognitionem, ad veteres linguas, mathesin et historiam, notitiisque certae vitae conditioni utilibus vel necessariis inde proturbatis, eandem praecipiens institutionem tribuendam esse omnibus pueris, quamcunque rationem vitae sibi electuri sint, ea

ipsa

---

*) Michelson, Gedanken über den gegenwärt. Zust. d. Math. Berlin 1789. S. 154. „In der d[illegible]
„ten Classe des Gymnasii beschäftige ich mich mit jungen Leuten von 12. 13 Jahren [illegible]entl
„eine Stunde mit der Geometrie, und eine mit der Arithmetik. Am Ende jedes Jahres haben
„immer mehrere wenigstens das erste Buch der Euclidischen Elemente auswendig ge-
„lernt." cf. Schmeisser Lehrbuch der reinen Mathesis nach Platonischer Weise. Berlin 1817.
Vorrede S. 16. 17. Ex his scholis ad Academias profecti adolescentes nullum fere usum ex prae-
lectionibus capere poterant, unde illius temporis libros saepissime reperies repletos querelis profes-
sorum de neglecto studio mathemathico. cf. Kästner's Vorlesung in der Königl. deutschen Ge-
sellschaft: Warum die Math. noch immer in Deutschland für unnütz gehalten wird. — De[illegible]
ben Vorrede zu s. Anfangsgründen der Arithmet u. Geometrie. Lichtenberg Verm. Schrift[illegible]
S. 231. „Ich kann nicht leugnen, daß mir, als ich zum erstenmal sah, daß man [illegible]
„Vaterlande anfange zu wissen, was Wurzelzeichen sind, die hellen Freudenthrä[illegible]
„gedrungen sind." — Derselbe: Von dem Nutzen den die Math. einem Bel[illegible]
Verm. Schr. III.

ipsa re luce clarius manifestavit, gymnasiorum non esse, ut pueros ad certum qualecunque negotium fingant, sed gravissimam illis commissam esse provinciam, omnes omnium facultates acuendi, omnes ingenii vires excolendi, ut pueri ita formati exacta vita scholastica facile arripiant et colligant, quae tum temporis illis dabuntur tractanda. Ad hunc animi altiorem cultum viri hujus rei peritissimi semper utilissimum duxerunt veterum linguarum strenuum studium, quod tot seculorum experientia spectatum nemo sanus repudiabit, quibus autem Edictum supra laudatum mathesin in formandis ingeniis adjungit sociam, ut quae alteram partem humanae mentis, eousque fere neglectam, sibi sumat excolendam. At equidem credo me supersedere posse labore ostendendi, scientiam mathematicam ad hunc finem aptissimam esse, illud vero curae cordique mihi est, ut ostendam, mathesin tum demum optime et facillime hoc propositum adsecuturam esse, si ad modum veterum Graecorum in scholis nostris tractetur. Methodum vero Graecorum mathesin docendi ab hodierno usu fere discrepantem in his praecipue pono, quod illi mathesin propter se ipsam colerent, nulla ratione habita utilitatis et commodi, quod geometriam, arcem universae matheseos, ante reliquas hujus scientiae partes tractarent, eamque puram nec alienis fundamentis innixam, quod rigorosissima argumentatione semper usi omnes ambiguitates, omnesque notiones fictitias rejicerent, tandem quod in tradenda scientia inveniendi et excogitandi vim excolerent ac problematis soluendis exercerent.

Nobilissima enim ars mathematica duplici modo tradi potest, primum ita, ut fundamentum struat fere omnibus aliis artibus et disciplinis, tum etiam propter se ipsam sine respectu usus et commodi, quippe quia firmissimas leges continet e mente humana ipsa natas, ideoque animum evehit imagine magnae suae dignitatis et pulchritudinis. Cum vero nostris temporibus omnes fere disciplinae et maxime mathematicae utilitatis causa tantummodo exerceantur, audiamus hac de re Quintilianum (Inst I, 10.): „In geometria partem fatentur esse utilem teneris aetatibus, agitari „nempe animos atque acui ingenia et celeritatem percipiendi venire inde concedunt, „sed prodesse eam, non ut ceteras artes cum perceptae sint, sed cum discatur, existimant.“ Praeclarissima autem hac de re extat sententia apud Plutarchum, qui, postquam in vitae Marcelli cap. 17. mentionem fecit laborum Archimedis in defendendis Syracusis, ita fere pergit: „Ipse tamen Archimedes haec opera parum digna studio suo aestimabat, sed tantummodo parerga et lusus artis geometricae. Tanta enim scientia et animi magnitudine, tantusque illi erat theorematum thesaurus, ut mandare recusaret ea inventa, quae solae illi apud aequales non tantum humanae sed adeo divinae sapientiae nomen et gloriam comparaverant; ille enim ma-

„chinarum

„chinarum construtionem, omnemque artem necessitati inservientem sordidam et „illiberalem habebat, iis tantummodo studiis deditus, quibus inest pulchrum et per„fectum nulli admixtum necessitati." Egregium hoc exemplum, cui omnia tempora justas tribuerunt laudes *), quodque Schillerus noster suavissimis polivit versibus**), certe ab omnibus probabitur, qui iis rebus delectantur, quibus inest nativus quidam color et pulchritudo, quique quaestum et victum, licet necessarios, non summa nec unica cura dignos putant. Profecto enim clarissima et maxime admiranda hominum opera nunquam in lucem prodiissent, si autores antea semper quaesivissent, quemnam usum praestitura essent, id quod hodie saepissime auditur. „Quis, ut Ciceronis „verbis utar (Off. II, 17.) Periclem vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa „Propylaea conjecerit", quis, ut eodem modo pergam, Ervinum istum, quod tantam operam tantumque lapidum pondus in magnificum illud monasterium contulerit, quis innumeros alios humani generis principes? an mavis cum Campio anteponere coli inventorem vati Iliadis, vel cum compluribus pristini temporis magistratibus horrea granaria magnificae arci Mariaeburgensi? Hi omnes autem jus suum obtinebunt, si dignitatem judicemus ex usu, tumque longe praestabit lingua francogallica graecae, aut artes coquendi et sarciendi picturae! Saeculum decimum octavum prae caeteris insigne fuit hoc contemtu omnium artium, quae non protinus usum spectarent, at equidem vereor, ne posteri cognomen philosophici, quod ipsum sibi nimis mature imposuit, rejicientes, aliud minus speciosum illi addicturi sint. Mathesis vero graecorum parum spectat commodum et eadem sublilitate demonstrat propositionem de Arbelo ***), ac theorema pythagoricum, persuasum sibi habens, usum semper sequi veram eruditionem. Discipulos suos autem post institutionem scholasticam scholis tradit certae arti destinatis, ut architecturae, artibus bellicae et metallicae, navigationi, geo-

---

*) Bossut Geschichte der Math. übers. v. Reimer, Hamb. 1804. Th. 1. S[illegible] des Math. I. p. 222. Mollweide, Comm. math. philos. Lips. 1813, [illegible]

**) Schillers Gedicht: Archimedes und der Schüler.

***) Pulcherrima haec propositio, at quantum ego scio nullius usus, extat in P[illegible] mat. (lib. IV. prop. 13.) Klügelius in Lexico (v. Arbelus) eam commem[illegible] strat, quamvis passim (III, pag. 623.) profiteatur, dignitatem propositionis pendere ab usu. Ego vero non video quid sibi velit propositio geometrica

geodaesiae, astronomiae, ubi majori cum successu audient, quantum usum ad communem vitam praestet nobilissima disciplina. *)

Quae si concedantur non est, quod quaerat praeceptor de usu cujusdam partis matheseos, sed illam sibi ante alias eliget pueris tradendam, quae diligentissime elaborata, maxima niteat pulchritudine, elegantia et concinnitate. Quis vero dubitet, hanc matheseos partem esse geometriam Graecorum, eamque puram et integram, sicuti in scriptis summorum hujus populi auctorum nobis tradita est, quamque postera secula ne immutare quidem, nullo modo vero emendare potuerunt.

Geometria graeca synthetice **) progreditur a definitionibus, axiomatibus et postulatis ad theoremata et problemata; definitionibus vero intellectis, axiomatibus et postulatis concessis, quae sequuntur ne minimae quidem objectioni nec dubitatoni sunt obnoxiae, et adsensum lectoris, ut ita dicam, vi extorquent. ***) Excellentiam librorum graecorum geometriam tractantium praecipue Euclidis, Archimedis et Apollonii, omnium temporum et populorum consensus satis probavit, quorum laudibus si paucissimi, nil enim mortalibus arduum, obtrectare conati sunt, nihil nisi ignorantiae documenta dederunt. ****) His praemissis absolutis maxima cura et diligentia propositiones superstruuntur, nec ulla relinquitur, nisi ita firmata, ut certum fundamentum reliquis esse possit. Trita haec sunt et notissima, nec uberiori explica-

---

*) Rec[illegible] Hausenius (in praef. ad elementa geometriae). Neque enim opus est ad Mathesin omnia [illegible], quae opera sua utcunque indigent. De architectura, de geometria agrimensorum multi ex [in]stituto egerunt, quos evolvant, qui volunt. Nec enim ex systematibus mathematicis Archi[tecti] vel Geodaetae unquam evadent.

**) [...]si et analysi mathematica v. Additamentum. I.

***) [...] quidam his objiciat notissimum axioma undecimum Euclideum, tot omnium temporum [...]amina, quae novissima decennia plus justo auxerunt, satis ostendunt id ipsum esse Eu[...]tiae documentum, quod, quae demonstrari nequeunt, vir sagacissimus inter axioma[...]que professus, sibi tantummodo cum iis rem esse, qui hoc concedunt. Recentio[...] aliter agere, quis ignorat?

****) [...]lae Pestalozzianae quidam mathematici. Schmidt Elemente der Form und Größe [1]809. Vorrede S. 31. „Ich behaupte Euclids Elemente seyn nicht von ihm erfun[den und] selbstständig geschaffen worden, wenn dies der Zusammenhang und das Ganze von [...] soll. Denn in diesem Falle könnte er nichts weniger als Denker gewesen seyn ꝛc."

explicatione indigent. Quare cum altera pars matheseos arithmethica usque ad hunc diem non ita accurate sit elaborata, et aeque lucido ordine adhuc careat, statim colligere possumus a geometria faciendum esse initium in pueris instituendis. Ego quidem libenter concedo arithmeticae partem maximam eodem modo illustrari posse, at Graeci hic nos deficiunt, (si excipias Euclidis libros arithmeticos et Diophantum) imperfecto et difficili numerandi modo impediti *), recentiorum vero libros arithmeticos nullo modo attingere excellentiam et perfectionem veterum, libenter quisque concedet hac in re versatus. Nam non ita accurate et continue struunt fundamenta, ut synthetice progredi possint, sed occasione data saepissime artificia, quae dicunt, adhibent, quorum originem tirones plane ignorant, quibusque recte uti longa demum docet experientia. Talia autem artificia, scientia recte fundata omnino indigna, in mathesi nullo modo toleranda, sed in artes viliores relegandа esse, quis non videt? Novissimis quidem temporibus nonnulli auctores arithmetici v. c. Pasquichius, La Croix etc. initium fecerunt ejusmodi propositiones praemittendi, quae viam sternant syntheticae tractationi, sed pauca ejus rei exempla inveniuntur, adhuc labor paene Herculeus superest, et equidem dubito, opus arithmeticum ad mentem veterum ita conscriptum, nostri temporis plausu gaudere posse. Lucidus hic ordo geometricus intranti in hanc disiplinam statim conspicuus, inprimis claram convictionem efficit, quare sedulus matheseos praeceptor libenter fatebitur, geometriae institutionem multo faciliorem esse, quam arithmethicae **), praecipue si a geometria initium faciat.

Deinde

---

*) Comunis haec opinio fortasse locum relinquet dubitationi, nam maximas invenimus calculi operationes a Graecis feliciter absolutas, cujus rei exemplum est problema difficilimum primum a Lessingio ex Cod. mspto, Anthologiae vulgatum, (Lessings Werke XIV. S. 235.) quod calculi peritissimis hujus temporis hominibus maximas objiceret difficultates.

**) Michelson l. c. S. 152. Merkwürdig ist es mir stets gewesen, daß ich bei dem vielen Unterrichte, den ich Anfängern in der Math. ertheilt habe, dieselben nicht nur nie anders, als mit der größten Mühe, sondern auch selbst dabei nie zum vollen Verstehen der Lehren der Buchstabenrechnung und Algebra und ihrer Beweise haben bringen können, wenn ich mit diesen Wiss. den Anfang machte; da ich hingegen, wenn ich die Geometrie hatte vo[r]ngehen lassen, durch die Arithmetik mit weit stärkeren und schnelleren Schritten vorwärts eilen konnte, a[ls] selbst in der Geometrie. Begreiflich werden indeß dergleichen Erfahrungen dadurch [illegible] daß jede höhere Fähigkeit oder Aeußerung unsrer Denkkraft alle bis zu ihr geden[illegible] drigen Fähigkeiten in einem gewissen Grade der Vollkommenheit voraussetzt [illegible]

Deinde nostra arithmetica usque ad hunc diem nullo modo ita firmis gaudet principiis, quam geometria, sed in ipsis liminibus laborat ambiguitatibus et notionibus non satis stabilitis, e quarum numero mihi liceat commemorare quantitates oppositas. Alembertus et post eum Carnotus satis ostenderunt (Carnot, Géométrie de position Paris 1803. Preface.) vulgares definitiones hac in re nullo modo admitti posse, et quanquam me non latent varia tentamina horum argumenta refutandi, mihi quidem adhuc immota stare videntur *).

Magis autem vituperandi sunt recentis temporis scriptores mathematici, qui notionem infiniti, quae humanum captum penitus fugit atque transcendit, in Mathesin introduxerunt. Mirabile dictu est quantam familiaritatem ante hos triginta annos mathematici cum infinitis quantitatibus contraxissent, ita ut computo illas subjicere non minus dubitarent, quam abacum pythagoricum. Schulzius, vir ceterum summe reverendus, (Versuch einer genauen Theorie des Unendlichen 1r Th. Vom unendlich Großen und der Meßkunst desselben. Kön. 1788 et passim in operibus) incredibili fere modo hac de re nugatur, v. c. cum doceat p. 320. totum universum aequale esse $\frac{4}{3}\pi \infty^3 = 4,18879 \ldots \infty^3$, ideoque nullam dari quantitatem hac mojorem, et ejusmodi plura. Eodem modo Lorenzius passim loquitur, praecipue in prioribus Elementorum editionibus, quem Karstenius (Mathemat. Abhandlungen Halle 1756.) jure castigavit, innumerique alii. Novissimum tempus saniores hac de re attulit sententias, et gaudio maximo quisque artis nostrae cultor afficietur, cum viderit autorum studium, obscuras has et fictitias notiones ubicunque exterminandi, praesertim in doctrina serierum et in theoria aequationum. Utinam vero in locum earum interdum non succederent aliae argumentationes aeque obscurae, aut infinitum tantummodo artificiose occultantes, ut limitum theoria etc!

Accedit, quod plerorumque librorum algebram tractantium autores rigorem usque adeo negligunt, ut theorematum gravissimorum demonstrationes arte quadam et dolo evitantes lectores seducant. Exempla hujus rei ubique extant, sufficiat ergo commemorare Theorema, quod dicunt Harrioticum, in doctrina aequationum summi momenti, cujus demonstrationem excepto Segnero (Elementa anal. finit Hal. 1758), Tempelhofio (Anfgsgr. der Anal. endl. Gr. Berl. 1769.) et Klügelio (Math. Wört. s. v. Gleichung) omnes libri germanici, quos mihi quidem inspicere licuit, v. c. Vegae

---

v. c. (Vergleichung zwischen Carnots und meiner Ansicht der Algebra rc. Freyberg 1804.) analogiae $+1 : -1 = -1 : +1$ plane nulla est.

Vegae (Vorlesungen über die Math.), Langsdorfii (leichtfaßliche Anleitung z. Analysis endlicher Größen rc. Manheim 1817.), Kiesewetteri (Fortsetzung der Anfangsgr. der reinen Math. Berlin 1818.), aut omnino omittunt, quanquam theoremate ipso ubique utuntur, aut cum Kästnero, Karstenio, Pasquichio ex calculo differentiali deducunt aut denique, ut Francogalli, minus accurate probant, etsi non difficile est, omnibus rite praeparatis, hoc theorema demonstrare. Item in omnibus libris algebraicis, ne uno quidem excepto, theorema maxime necessarium „aequationis cu„juslibet radicem veram inter duos numeros esse, oppositos aequationis valores effi„cientes", aut omnino non demonstratur *), aut ex theoria curvarum linearum derivatur, quarum altera via mathematico est plane indigna, in altera vituperanda est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Cum vero in omnibus disciplinis tradendis candida confessio ignorantiae, aut invincibilis difficultatis semper praestet insidiosae auditorum circumventioni, mathematicos, qui merito lucida methodo et invicto rigore gloriantur, inprimis decebit.

Praeterea negari nequit vel optimos libros algebraicos Euleri, Newtoni aliorumque mendis et vitiis laborare, sed aegre animum induco recensere errores **) summorum virorum, quos parum cavit humana natura, praesertim cum ad alia properandum sit. Hoc tantummodo mihi liceat proferre, quod mea ex sententia quaedam argumentationes, in algebra hodie usitatae, adtento tironi nullo modo satisfacere possunt, et adsensum quidem, sed, ut ita dicam, invitum efficiunt. Egomet ipse libenter fateor, quanquam fortasse erunt, qui hac de re me irrideant, in deductionibus logarithmorum, functionum circularium etc. per quantitates impossibiles ad finem argumentationis evanescentes, quas post Eulerum fere omnes recentiores receperunt, me nullo modo acquiescere posse, ita ut praeferam demonstrationes magis perspicuas, licet sint longiores. Id saltem omnes concedent, cavendum esse, ne pueri ejusmodi argumentis conturbentur.

Quamquam igitur cauta et prudens algebrae institutio nequaquam e scholis projicienda est, faciamus tamen initium a Geometria, ut pueri lucido ordini et stre-

---

*) Bolzani demonstratio (Rein analytischer Beweis des Lehrsatzes, daß zwischen je zwei Werthen, die ein entgegengesetztes Resultat gewähren, wenigstens eine reelle Wurzel der Gleichung liege. Prag. 1817.) admodum implicita est et laborat obscuritate.

**) Ne vero injustus videar accusator, inspiciantur Euleri Algebra I. §. 299. coll. Garnier p. 56. Newtoni Arithm. univ. ed. Castil. p. 159. coll. Kästner Anal. d. E. §. 718. mente I. S. 467. §. 50.

nuo rigori quam primum adsuefiant; inversam viam non aeque prospero successu ingrederentur. *) Ille enim rigor geometricus sine quo praeclara illa disciplina tota corruit et collabitur non invenitur, nisi in scriptis Graecorum et paucissimorum recentis temporis auctorum **), qui geometriam penitus ad modum Graecorum pertractaverunt, quorum ego quidem nostri populi et Francogallorum novi neminem, Anglorum vero complures. Germani enim maximo cum scientiae detrimento levitatem vicini populi hic ut in aliis imitati ***) calculi usum geometriae obtruserunt, sensimque magis veteris geometriae praestantiam et laudes obliviscuntur, imo contemtui habent, quare

---

*) Klügel Wörterbuch II, S. 315. Die Methode der Alten hat man besonders in dem Anfange des mathematischen Studium sich geläufig zu machen. Sie giebt eine unmittelbare, anschauliche Zergliederung der Relationen, sie nöthigt in jedem Falle auf besondre Verbindungen und Anknüpfungen der Größen und Einführung der Mittelbegriffe zu sinnen. Auch prägt sie durch die öftere Anwendung der gefundenen Sätze diese dem Gedächtnisse zur schnellen Bereitschaft ein. Durch dies alles wird der mathemat. Geist geweckt, und der Zeitaufwand vergütet. Ist man erst im Besitze der allgemeinen Hülfsmittel aus der Analysis, der Neueren, so wird man vielleicht nicht die Geduld haben zu Fuße zu gehn, wo man fliegen könnte. Newton, der erste Erfinder der neuern Analysis, hielt die Methode der Alten sehr hoch, und rühmte die Mathemat. seiner Zeit, welche in der Anwendung derselben Geschicklichkeit hatten, vorzüglich Huygens. Er pflegte sich oft selbst zu tadeln, daß er sie nicht mehr befolge, und bedauerte, daß er in dem Anfange seiner math. Studien sich zu sehr an Descartes und andre algebr. Schriftsteller gehalten, ehe er die Elemente des Euclides sich vollkommen zu eigen gemacht hätte, s. Pemberton View of Sir J. Newton's Philosophy (cf. Schmidtii judicium de Euclide supra cit.) — Profecto nemo pedes ibit volandi peritus, si id tantummodo spectat, ut quam celerrime iter conficiat, sine dubio autem viatores plura conspiciunt visu digna majoremque fructum eundo percipiunt, quam aëronautae.

**) De negligentia recentiorum vid. Addit. II.

***) Montucla Hist. d. M. III, 13. „L'Allemagne en général plus calculatrice à l'instar de la France ne me paroit pas fournir autant d'exemples de gout pour le style de la géometrie ancienne (que l'Angleterre)." In vern[illegible]a nullum novi corpus geometriae ad mentem veterum conscriptum Euclidis, Archimedis et Apollo[illegible] inventa complectens, merito vero collaudantur quaedam versiones e graeco, ut Lorenzii versio Elementorum, Camereri versiones Locorum planorum et Conicorum Roberti Simsonis, Schwabii versio Datorum Euclidis et Hauberi versio libri Archimedis de sphaera et cylindro. — Gilberti geometria a tertio [illegible] de algebraice rem tractat; Hausenii elementa, Camereri restitutio libri Apoll. de tactionibus, Krafftii [illegible]. geom. sublim., summopere laudauda opera, latine scripta sunt. Egregium opus geometricum, [illegible]vo idiomate conditum, est Grondbeginsels der Meetkunde door I. A. van Swinden. Tweede [illegible] 1816.

quare mihi liceat ad calcem libri summorum mathematicorum hac de re addere testimonia *), qui omnes uno ore ad astra extollunt graecam geometriam, eamque puram et rigorosam nullo modo arithmetices auxilio indigentem, vituperant contra et contemnunt usum calculi in geometria, magnamque recentiorum incuriam et negligentiam, quique causam meam dicent, si forte nimis videar audax. At horum plerique antiqui vatis dictum confirmant,

Video meliora proboque deteriora sequor.

Nam in scriptis suis occasione oblata veterum viam relinquentes statim solita vestigia premunt et rem algebraice aut certe neglecta veterum elegantia et subtilitate adgrediuntur **). Alii etiam, forsitan librorum graecorum ignari, veteres fastidiose despiciunt, nobisque longe inferiores, nec ullo modo eorum artes cum nostris comparandas esse putant ***). Viri isti, si calculi hodierni majorem utilitatem collaudent, quis est, qui repugnet? Nonne machina ista ita ad perfectionem evecta est, ut fidenter et fere sine ulla meditatione ea uti liceat? (cf. Klügelii loc. in Add. III.) Attamen male anteponitur geometriae, quippe quae usum minime spectat, consilium vero sequitur ingenii perficiendi. Porro ubi novarum argumentationum brevitatem jactant et longe praeferunt nimiae veterum prolixitati, fateantur brevitatem probandam esse, dummodo salvus maneat rigor geometricus nunquam non observandus. Atqui longae veterum argumentationes sunt necessariae, ut Archimedeae in methodo, quam dicunt, exhaustionis, quam recentes, dum contrahere studuerunt, omni rigore nudaverunt. Errant etiam, qui geometricas demonstrationes et solutiones ubique longiores putent, cum saepissime algebraicis multo sint breviores et concinniores. Algebraica enim methodus plerumque omnes casus problematis complectitur, ideoque in singularibus casibus evoluendis perplexas praebet et difficiles solutiones. ****)

*) Vid. Additam. III.

**) In Kaestneri lib. Geometrische Sammlungen et in Klugelii Lexico singulae paginae hujus rei exempla offerunt. Minime etiam Vega commendari potest geometriae studiosis, quia omnia calculi finiti et infiniti armis adgreditur. T. III. p. 224. e. c. lineae rectae centrum gravitatis ope calculi integralis investigat.

***) Schulze, Taschenbuch f. diejenigen, so gründliche Anwendungen der Meßkunst zu machen sich vorsetzen. Berlin 1783. I. S. 354. 443 et passim. — Gilbert Geometrie S. 252. — Hirsch Sammlung geometr. Aufgaben I. S. 238. cf. Kästner Sammlung I. S. 73. Ej. Geschichte der Mathematik III. S. 249.

****) Exempla v. ap. Hirschium et in Puissantii libro: Recueil de diverses propositions de géométrie [illegible]

At novae methodi, ajunt, usus est maximus, summaque inde capiunt emolumenta omnes artes et negotia; quidquid veteres parum accurata delineatione longoque adhibito labore vix, ac ne vix quidem effecerunt, hoc facillime et accuratissime calculi ope perficimus; quid? quod vias certas et generales monstramus, quibus sine irritis conatibus ad solutiones pervenimus, quarum ne spes quidem veteribus fuit. Omne argumentum ex intimo animo concedo. Neque enim is sum, qui Cartesii, Newtoni, Leibnitii, Bernoulliorum, Lamberti, Euleri inventa vilia habeam, nec intelligam incredibiles fere usus ex algebra promota in omnes artes, praecipue vero in praeclarissimam omnium, astronomiam, redundasse. Hic autem agitur de formandis puerorum ingeniis, minime vero quaeritur de proximo usu, qui si minus respiciatur, quilibet ira et studio vacuus agnoscet, praeclara novi temporis inventa non ita perfecta et absoluta esse, nec ita firma jecisse fundamenta, ut ingenia tironum acuere et roborare possint. *) Si vero problema proponatur artem aut usum quendam spectans, ad algebraicam solutionem confugiamus necesse est. Quis enim est ita imperitus, qui hac in re vel implicitissimam formulam algebraicam non praeferat

---

et démontrées par l'analyse algébrique. 2de édit. Paris 1809. cf. Schwabii praef. ad vers. Dat. Eucl. Camereri praef. ad Apoll. l. c. in add. III. praecipue autem L'Huilier, De relatione mutua capacitatis et terminorum figurarum geometrice considerata. Varsaviae 1782. — Francogalli calculi amantissimi saepissime laudant eam algebrae virtutem, quod plura respondet, quam quae quaerruntur („qu'elle supplée aux defauts du problème"). At ea demum mihi videtur optima responsio, quae stricte respondeat ad id, quod interrogetur, neque plura det, quam quae postulentur. Illis auctoribus etiam semper praeferenda sunt enuntiata maxime generalia, quorum casus singulares postea signis oppositis distinguuntur. Geometria graeca majori cum evidentia inversam viam sequitur.

*) Kausler, Das Ustackerische Exempelbuch zur Wiederherstellung der durch den mechanischen Calcul verdrängten rásoinnrenden Rechenkunst. Heidelberg 1806. „Seit mehreren Jahren arbeitete ich „an Diophants unsterblichem Werke über die Rechenkunst, und fand darin einen solchen Schatz von „den feinsten, scharfsinnigsten algebraischen Auflösungen, daß mir die mechanische geistlose Methode „der neuern Algebra mit jedem Tage mehr ekelte. Die erhabenste der Wissenschaften, ganz dazu ge„eignet dem menschlichen Geiste die höchste Ausbildung zu geben, war zu einem Kinderspiele herab„gesunken, dessen man sich bediente, um nach Taschenspieler Art Resultate hervorzuzaubern, über die „der Rechner selbst erstaunte: indem er unvermuthet zu einem Ziele kam, das er nicht voraussah, „und auf Wegen dahin gelangte, von denen ihm keine Erinnerung blieb — und dies auf eine für „seinen Geist so unrühmliche Art, daß, wenn er in der Mitte seiner Arbeit absetzte, ein Andrer, ohne „zu wissen, wovon die Rede sei, dieselbe eben so gut, als er, vollenden konnte u. s. w." Ideo videmus artem mathematicam hodie subinde contemni et vilem haberi, quae tanti apud graecos aestimabatur, (cf. sententiae I. P. F. Richteri et Chateaubrianti ap. Schmeisserum Vorr. S. 75.) nec injuria, nam [illegible]bio permagna calculi hodierni peritia sine ingenii acumine comparari potest.

[illegible]er a Klug. cit. Lex. III. S. 607

ferat accuratissimae delineationi? *) Merito vituperantur Geodaetae, qui nostro tempore in mappis geographicis conficiendis calculum trigonometricum negligentes delineationi nimis confidunt, Astronomi vero et machinarum constructores prorsus deriderentur, si problemata sua per delineationem solvere tentarent. **) Ego vero nequeo satis mirari, facilem hanc distinctionem fere ubique usque ad hunc diem neglectam esse, praecipue in patria nostra. Ubi enim mentio fit problematum quorumdam veteribus inaccessorum, ut problematis Deliaci aut similium, tum statim jactamus majores nostri temporis profectus, despicimusque veterum infirmitatem. At si Graeci, tantam operam cubi duplicationi navantes, nil nisi appropinquantem valorem numericum radicis cubicae quaesivissent, certo reperissent. Quare mirum videtur, quod Universitas litterarum Lugdunensis nuperrime dissertationem praemio ornavit, quae quidem circa veterem geometriam versatur, penitus vero arithmetice absoluta est, ita ut auctor nihil aliud invenerit, nisi cubi quaesiti latus aequare 2,057294 ... r ***). Omnes sane trahimur genio seculi, qui, quantopere homines partim specie utilitatis, partim novarum inventionum splendore obcoecare possit, ex his quoque clare apparet.

Accedit, quod ex omnium consensu artis mathematicae duae partes, arithmetica et geometrica, ita sunt comparatae, ut utraque totum hominem postulet, utque alteram negligere cogatur, qui in altera velit excellere. Montucla, ubi (III. p. 6.) judicium Newtoni de vetere geometria, supra ex Klügelio citatum, adtulit, ita pergit: „En effet, quoique ses principes nous offrent en bien des endroits des exemples de „ce tour ancien, en général le calcul y perce à travers le déguisement, dont New„ton l'a couvert, espèce de défaut commun à bien des livres donnés pour écrits sui-

*) Si v. c. mechanicum problema proponatur „facere rotam, quae tres alias circumagat" praeferemus sine dubio Hirschii formulam (Samml. geometr. Aufg. I. S. 256.) elegantissimae solutioni Apollonianae.

**) cf. Hansenii praef. ad Elem. geom. „De actuali constructione hic non quaeritur, cum ne possent quidem sensibiles figurae ad rigorem definitionum effingi, sed requiritur cognitio eorum, quibus absolvitur formatio, quae intellectualis quaedam constructio est. — Id praeterire non debeo, quod satius duxerim numericas quaestionum geometricarum solutiones eliminare e geometria, quae solvit describendo figuras, non computando et satis habet principiorum propriorum, ut alienis opus non sit, quam confundere res diversissimas et geometriam, quae arx est totius matheseos, ποικίλην dimittere."

***) cf. Diderici Bax, Roterodamensis, in acad. Lugduno-Batava literarum candidati et Theol. studiosi responsio ad quaestionem ab ordine disciplinarum math. et phys. e mathesi A. 1816 propositam: Si corpora solida Tetraedrum, Hexaedrum, Octaedrum, Dodecaedrum, Icosaedrum inscribantur sph... cujus radius sit aequalis unitati, quaeritur cubus, cujus capacitas aequatur capacitati illorum corporum simul sumtorum; in certamine literario civium academiae praemio ornata. Lugd. Bat.

„vant la méthode ancienne, et qui ne sont que de l'algèbre déguisée"*) Memoratu dignum hujus rei documentum praebet problema: „describere in circulo dato triangulum, cujus latera, si opus sit producta, transeant per tria puncta positione data", cujus historiam vide apud Klugelium (Lex. s. v. Kreis §. 115.) Huic problemati solvendo operam tribuerunt Cramerus, Castilioneus, La Grange, Lexellius, Eulerus, Carnotus aliique, qui quidem fere omnes invenerunt solutiones algebraicas, sed perplexas et parum elegantes, ita ut ipse sagacissimus Eulerus modo geometrico hac in re aliquid perfici posse negaverit. Quod vero frustra adfectaverant viri mathematum peritissimi juveni Neapolitano prospere successit, Jordano Ottajano XVII annos nato, qui elegantissimam simulque simplicissimam solutionem geometricam non solum triangula, sed omnia complectentem polygona in Ephemeridibus mathem. Veronens. edidit. Quid igitur? Credamus Ottajanum in arte mathematica plus calluisse quam Eulerum? Minime quidem! Ego vero puto Ottajanum a puero problema quoduis geometricum armis geometricis adgredi consuevisse, ideoque thesaurum illum theorematum Archimedeum ei magis praesto fuisse, quam Eulero, ob crebriorem algebrae usum ad eam semper confugere solito; quod eo est verisimilius, cum sine dubio Ottajanus solutionem suam, ut apud Klugelium extat, ex Pappi Lemmatibus (L. VII. prop. CV.) ad Apollonii L. de Tactionibus hauserit. Quae cum ita sint, dubito an rei scholasticae consulant institutioni publicae praefecti, qui hodierno tempore a praeceptoribus scholarum superiorum mathematicam professis tantam calculi scientiam flagitent, quae colligi non posse videtur, nisi neglecta veterum geometria.

Quibus explanatis brevis esse possum in exponenda methodo institutionis, qua mathematici graeci usi sunt. Complures nostri temporis scriptores **) satis probaverunt, graecos non synthetice, ut in libris eorum elaboratam et digestam invenimus, geometriam docuisse, sed analytice rem adgressos esse, ita ut tirones com-

pellerentur

*) Alia exempla dissimulatae algebrae praebent constiuctiones geometricae, quas vocant, deductionibus algebraicis subtextae, quae plane sunt rejiciendae, quia et nihil habent geometricae elegantiae et nulli sunt usui, cum finis algebraicae solutionis sit valor numericus quaesiti, quo impetrato, negotium absolutum est. cf. Schwabii praef. §. 27.

**) Matthias, Anleitung zur Erfindung und Ausführung Elementargeometrischer Beweise und Auflösungen. Magd. 1811. — Desselben, Erläuterungen zu dem Leitfaden f. einen heuristischen Schulnterricht über die allgemeine Größenlehre ꝛc. Magd. 1814. — Schweisser, Lehrbuch der reinen athesis in einem zum Selbstfinden leitenden Vortrage derselben nach Platonischer Weise. — Ohm, rundlinien zu einer zweckmäßigen Behandlung der Geometrie, als höheren Bildungsmittels an bereitenden Lehranstalten. Erlangen 1817.

rentur ipsi invenire superiores propositiones, quibus inniterentur demonstrationes et solutiones. Quanquam enim syntheticam formam summo jure perfectissimam aestimabant, consultum tamen putabant esse, tirones ea ipsa via analytica ad theoremata perducere, qua plurima sine dubio inventa essent; postea vero perceptum et penitus intellectum theorema in formam syntheticam redigere pueros docuerunt. Optime haec ex Platone Schmeisserus demonstravit, ostendens μάϑησιν vertendam esse recordationem, quia Platonici notiones mathematicas in animo humano a natura ipsa insitas esse crediderint, quas ideo vel imperitissimus ipse invenire posset, si rei peritus eum duceret, ubi igitur non institutione, sed recordatione opus esset. Res ipsa admonet geometriae institutionem plus valere ad ingenii vires excolendas, quo in cardine nimirum res versatur, si demonstrationes non tradamus, sed si pueros ita ducamus, ut ipsi inveniant nexum propositi cum praecedentibus. Quae methodus quidem multo est difficilior, nec exiguam postulat geometriae peritiam, at prospero successu rependit, quem impendimus laborem. Recte itaque Decretum de speciminibus mathematicis examinandorum dat. Berolini d. 8. Jul. 1816. ita praescribit: Synthetische Darstellung des Mathematischen führt bloß zur Ueberzeugung von der Wahrheit der Sätze, nur die Analysis kann lehren, wie sie sich entwickeln, und es ist ein Mißverständniß, wenn man glaubt, daß, weil in jener Form sich ein System von Sätzen so evident aufstellen läßt, der Lehrer auch deswegen von dieser Form im Vortrage nicht abweichen dürfe. Supra laudati scriptores, Matthias, Schmeisserus, Ohmius, quibus addo Batavum van Swinden, bene quidem hac de re monent, facilius vero institutio analytica geometriae graecae sine dubio succederet, si Graeci ipsi propositionum demonstrationibus aut solutionibus analysin suam ubique adjecissent; illi autem, quantum erant hac in re versati, theorematum analysin fere ubique, problematum saepissime omiserunt. Attamen injuste Petrus a Schooten in praef. ad fratris Francisci tractatum De concinnandis demonstrationibus geometricis ex calculo algebraico (Amstel. 1683.) videtur accusare veteres, cum ita scribat: „Exempla veterum imitari cupiens meus frater ad analysin, certissimam inveniendi „artem, sua studia convertit. Neque dubitabat, quin pleraque omnia, quae vete- „ribus tantum gloriae peperissent, analyseos beneficio ac ope reperta essent, sed „quae illi, ut inventorum major admiratio foret, dissimulato hoc artificio et supres- „so, vulgari tantum syntheseos forma exhibuissent.“ Tantum enim abest, ut veteres analysin suam dissimulaverint, ut egregia et maxime admiranda ejus exempl[a] nobis reliquerint, quae Anglorum quam plurimi scriptores feliciter imitati hand[…] nuem sibi gloriam paraverunt.

Analysi ergo utamur in tradenda geometria, eaque theoretica s. contemplativa in demonstrandis theorematis, problematica in problematis solvendis (cf. Pappi loc. cit. in Add. I.). Hunc autem usum analyseos theoreticae Klügelius (Lex. v. Analysis I, 89.) prorsus obliviscitur, cum dicat: Die theoretische Analysis, deren Pappus erwähnt, wird kaum anders brauchbar seyn, als bei Prüfung eines Satzes, den ein Schriftsteller aufstellt, oder anwendet, ohne ihn zu beweisen, denn man wird nicht leicht durch Vermuthung auf einen mathem. Satz gerathen. *) Praecipue autem analysis problematica in solvendis problematis ad tironum usum conscriptis nunquam est omittenda, quare nostri temporis scriptores summopere sunt accusandi, quod in concipiendis problematis geometricis, si forte talia comminiscantur plerumque in arithmetica occupati, nunquam non negligunt pulcherrimum veteris analyseos expemplum.**) Synthetica enim problematum solutio nunquam tirones eo perducere potest, ut Marte suo quaestiones propositas resolvant, quare vel solertissimos, analytica si careant arte, in nova quacunque materia statim haerere videamus. Ita vero ingenium mathematicum nullo modo formari posse, facile videre est.

Plurimi dein hodierni temporis geometriae studiosi satis habent, ubi plurimum, Elementa Euclidis, nec iis integris incumbunt, sed aut omittunt libros genio aevi minus aptos (ut lib. II. et libros arithmeticos), aut rem pertractant ad recentis cujusdam auctoris compendiolum. In Elementis autem pro consilio autoris, ipsa in operis inscriptione exhibito, non nisi eas propositiones quaerendas esse, quae fundamenta jaciant, quaeque continuo nexu conjungi potuerint, satis constat.* Quare hic non inveniuntur gravissimae quaedam et elegantssimae propositiones, e quarum numero liceat commemorare plurimorum theorematum conversa, theoriam de maximis et minimis, ne dicam inumeros trianguli et circuli proprietates.

*) Hoc quoque aegre concederem, cum persuasum mihi habeam, cuique matheseos studioso haud raro suspicionem theorematis cujusdam, aut omnino, aut sibi certe ignoti vel delineatione, vel calculo, vel singularium casuum comparatione incidisse, cujus demonstrationem analysi theoretica indagaret necesse fuit. Ipse Klügelius theorema Pythagoricum divinatione inventum esse contendit. (Lex. III, 932.)

**) Saepius etiam omittunt secundam solutionis partem, διοϱισμὸν, s. determinationem, quae varios casus et species problematis enumerat, atque quinam eorum faciliorem reddant solutionem, quique construi non possint, quot solutiones dentur casus determinati, vel quis sit locus casus indeterminati diligentissime perscrutatur. Ita solutio Graecorum has habebat partes: Analysin, Determinationem, Synthesin, Demonstrationem.

tes. *) Accedit, quod Archimedis et Apollonii inventa qui negligunt, plane ignorant, quam late pateat veteris geometriae campus, quantaque Graeci paucissimorum principiorum ope perficere valuerint.

Postremo et eam ob causam Euclides tironibus instituendis nullo modo sufficere potest, quod perpauca tantummodo offert problemata, quibus inventio exerceri possit. Cui inopiae occurrere non admodum difficile quidem fuisset post tot tantosque veterum labores, adhuc vero nostrates collectionibus problematum geometricorum ad mentem veterum commentorum, quibus Angli abundant, plane carent, si excipias paucissima Schwabii et Camereri versionibus adjecta, quam ob rem per scholas Germaniae pueros in soluendis quaestionibus parum reperiamus exercitatos. Longe secus Graeci! „Ea enim erat (ut ait Camererus in praef. ad Apoll. de „Tact.) Apollonii aliorumque ejus aetatis Geometrarum opinio, rem facere perutilem eos, qui pleniorem rerum mathematicarum cognitionem assequi cupiant, si „perceptis Geometriae elementis non statim satis sibi in ea re sapere videantur, ac „ad altiora doctrinae capita incerto adhuc gradu progredi properent, sed ea potius, „quae didicerint altius subinde animo infigere et vel maxime variis quaestionibus geo„metricis accurate solvendis applicare enitantur.“ Inter hos libros a Pappo recensitos primas tenent Conica Apollonii, opus perfectissimum et summe admirandum, cujus septem priores libri supersunt, saeculorum barbariae elapsi. Hunc librum male negligimus et ignoramus, et si reverentia quaedam et verecundia plerosque recentis temporis mathematicos retinuit infeste adoriri Euclidis geometriam, Apollonius aeque secunda fortuna minime gaudet. Conica enim fere ubique docemur methodo algebraica, aut trigonometrica, aut, quod pessime plerumque accidit, methodo mixta, quae methodi usum tantummodo spectant, et parum adferunt ad ingenii vires excolendas. Hanc antem de conicis sectionibus doctrinam elementis absolutis statim geometrice et ad modum veterum tractandam esse, nostratium multi ipsi fatentur (cf. Klugelius passim), Anglique Graecos prospero cum successu secuti permultos conscripserunt de Conicis tractatus **), cum vernacula ne unum quidem ostendat, si excipias Camereri versionem trium priorum librorum Rob. Simsonis.

*) In Garnerii Libro (Les Réciproques de la Géométrie, suivies d'un recueil de théorèmes et de problèmes. 2de édit. Paris 1810.) multae demonstrantur propos. conversae, sed haud raro paullo negligentius. — Grato animo hic commemoro Pfleidereri, viri de geometria antiqua meritissimi, scholia II. & VI. Eucl. Tubing. 1797-1805.

**) Quorum recens. v. ap. Klugelium (v. Kegelschnitte III, 26) qui tamen multos omisit autores.

Post haec Pappus commemorat Loca plana Apollonii, quae simili modo negliguntur atque despiciuntur, ut quae nullo sint ex usu nostris temporibus algebram adeptis. Sane vero superfluum duco ostendere, quantum usum praestet Locorum doctrina ad concinnandas demonstrationes, et maxime ad solvenda problemata; ego enim nescio quomodo tirones neglectis locis ad propositae quaestionis solutionem excogitandam duci possint. Commode et hic Camererus, cui veteris geometriae studium tantum debet, popularibus auxilium attulit versione Locorum planorum Apollonii a R. Simsone restitutorum (Lips. 1796).

Haec quoque, quantacunque essent, Graecis non suffecerunt, sed ut subtilitatem in variis casibus discernendis exercerent, problemata generalia excogitaverunt, permagnum casuum numerum amplexa, qui ante solutionem diligenter erant discernendi et in ordinem digerendi. E quorum numero maxime innotuerunt Apollonii problemata de tactionibus, de sectione rationis et spatii, de sectione determinata et de inclinationibus, quorum notitiam v. ap. Montuclam I. p. 284. sq. Idem Camererus libri de tactionibus restituendi sciagraphiam edidit, quae ob accurationem, integritatem et elegantiam, ad instar veterum ubique servatas, maxime est commendanda geometriae studiosis *). At ipse (praef. fin.) ita queritur: „Patet inde, post tot tantorum virorum in probl. Apolloniano labores desiderari tamen adhuc plenam ac genuinam Apollonii librorum restitutionem, quam cum magna ex parte paratam jam atque elaboratam habeam, non tamen consultum esse videtur, nostra aetate de edendo opere hujus generis, quod ex ipsa rei natura, distinctis nempe variis problematis casibus, iisque more antiquorum uberius explicatis, non potest non prolixum esse, serio cogitare."

In reliquos Apollonii libros edendos et restituendos operam impenderunt summi geometrae Robertus Simsonus, Hallejus et Horslejus, et maxime est desiderandum, ut horum librorum, quos omnes meritis ornant laudibus, quorum autem inspiciendorum in patria nostra rarissima datur copia, versiones in usum popularium a viris doctis componantur, ut inter Germanos, quibus ceterum tanta gloria est promoti rigorosarum disciplinarum studii, et veteris geometriae amor, paene evanescens, majora capiat incrementa.

---

*) Hujus libri laudes v. Mont. v. III. p. 14. — Ejusdem libri Apoll. restitutionem nuperrime edidit Haumannus (Versuch einer Wiederherstellung der Bücher des Apollonius v. Perga Von den Berührungen. Breslau 1817.), quae quidem ostendit harum disquisitionum studium non plane exstinctum esse, analysin autem et pleniorem casuum determinationem incommode omittit.

Ad-

Additamenta.

I. De analyseos et syntheseos discrimine.

Inutile videtur de harum vocum notione et de earum discrimine disserere, cum et etymon et aliarum disciplinarum v. c. Chymiae et Philosophiae usus de vera illarum significatione nullam relinquant dubitationem, cumque plurimi scriptores mathematici has voces juste definiant. Sed, quae est hodierni aevi levitas, iidem auctores, si usus veniat, has notiones ita confundunt et corrumpunt, ut lectores in ipsis principiis ejus doctrinae, quae de notionibus accuratissime stabilitis maxime gloriatur, haereant et haud raro in errores deducantur. Liceat ergo hac de re quae sentio paucis exponere.

Pappus Alexandrinus in Coll. math. L. VII. praef. (Vers. Commandini. Bonon. 1660) utramque vocem ita definit: „Resolutio est via a quaesito tanquam concesso „per ea, quae deinceps consequuntur ad aliquod concessum in compositione: in re„solutione enim id quod quaeritur tanquam factum ponentes, quid ex hoc contingit, „consideramus: et rursus illius antecedens, quousque ita progredientes incidamus „in aliquod jam cognitum, vel quod sit e numero principiorum. Et hujusmodi „processum resolutionem appellamus, veluti ex contrario factam solutionem. In „compositione autem per conversionem ponentes tanquam jam factum id, quod „postremum in resolutione sumsimus atque hic ordinantes secundum naturam ea „antecedentia, quae illic consequentia erant et mutua illorum facta compositione ad „quaesiti finem pervenimus et hic modus vocatur compositio. Duplex autem est re„solutionis genus, alterum quidem, quod veritatem perquirit et contemplativum „appellatur, alterum vero quo investigatur id quod dicere proposuimus, vocatur„que problematicum. In contemplativo igitur genere quod quaeritur, ut jam ex„tens et ut verum ponentes per ea, quae deinceps consequantur tanquam vera „quae expositione sunt, procedimus ad aliquod concessum, quod quidem, si v[illegible]

„sit, verum erit et quaesitum et demonstratio, quae resolutioni ex contraria parte „respondet. Si vero falso evidenti occurramus, falsum erit quaesitum. In pro„blematico autem genere, quod propositum est ut cognitum ponentes, per ea, quae „deinceps consequantur, tanquam vera procedimus ad aliquid concessum, quod qui„dem si fieri compatirique possit (quod datum vocant mathematici) etiam illud, quod „propositum est, fieri poterit, et rursus demonstratio resolutioni ex contraria parte „respondens. At si evidenti, quod fieri non possit, occurramus, et problema iti„dem fieri non poterit" *).

Atqui methodi, quibus geometrae utuntur, etiam alio ex principio distingui possunt in methodum, quam veteres Graeci adhibuerunt, quae ex sola contemplatione figurae et ex proprietatibus spatii extensi quaesita derivat, quaeque vocatur m e t h o d u s g e o m e t r i c a v e t e r u m **), et in methodum a recentioribus inventam, quae quantitates extensas ad unitatem quandam redactas numerorum instar pertractat, ideoque illas omnibus istis commutationibus subjicit, quas numeri admittunt (ut mul-

---

*) Tum Pappus libros analyticos enumerat Euclidis, Apollonii, Aristaei, et Eratosthenis. Pappum in definiendis analysi et synthesi stricte sequuntur recentiorum plurimi, ut Montucla I, p. 165. La Croix, Essais sur l'enseignement en général et sur celui des mathématiques en particulier. Paris 1805. Klügel, Math. Wörterbuch I. s. v. Analysis als Methode. Praeclare hanc rem explicat Schwabius in praef. ad versionem germ. Datorum Euclidis (Stuttg. 1780). Sine dubio V. C. L'Huilier, veteris geometriae peritissimus, egregie hac de re exposuit in libro: Elémens d'analyse géométrique et d'analyse algébrique appliquées à la recherche des lieux géométriques. Paris et Genève 1809., quod ex ipso titulo conjici potest, sed hunc librum nondum vidi. — Eodem fere modo philosophi methodum anal. a synth. distinguunt, illam regressivam, hanc progressivam nuncupantes cf. Mellins Wörterbuch v. Methode.

